

*Acta capitulorum generalium Ordinis
Praedicatorum*

Iussu Andreae Fruhwirth recensuit Benedictus Maria Reichert.
(Monumenta Ordinis fratrum Praedicatorum historica)

2: ab anno 1304 usque ad annum 1378

Romae : in Domo generalitia ; Stuttgartiae : apud Jos. Roth., 1899.

p. 449.

In conventu Hufonensi provincie Bononie ponimus lectorem principalem fratrem Scalem et de provincie (!) (1).

In conventu Barcinonensi ponimus lectorem principalem fratrem Petrum de Guillis (2); ad legendum sentencias ibidem fratrem Simonem Romey; pro magistro studencium fratrem Petrum Albi (3); ad legendum bibliam ibidem fratrem Romeum Rosselli (4).

In conventu Magdeburgensi (5) facimus lectorem principalem fr. Petrum de Voleberc; ad legendum sentencias ibidem fratrem Hermannum de Cohingia (6); pro magistro studencium fratrem Hermannum Crispini.

In conventu Neapolitano facimus lectorem principalem fratrem Nicolaum de Troia (7), magistrum; ad legendum sentencias ibidem fr. Antonium de Uxore. Pro magistro studencium fratrem Iohannem de Neapoli (8). Ad legendum bibliam ibidem fr. Nicolaum Orfonellis de Pennis.

In conventu Mediolanensi lectorem principalem ponimus fr. Iohannem de Lampinnio. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Iohannem de Claresto de Asch (!). Magistrum studencium facimus Petrum Maser de Mediolano.

Studium generale in Romana provincia, quod consuevit esse in Florentia, quia ibidem propter guerras non potuit congregari, ponimus in conventu Pisano eiusdem provincie, quousque provideatur de loco tranquillo; et facimus lectorem principalem fratrem Iohannem Dominicum Eugubinum (9); ad legendum sentencias ibidem fratrem Benedictum Franciscum; magistrum studencium fratrem Iohannem de Cachina; ad legendum ibidem bibliam fratrem Fridericum de Fulgino.

Ordinacionem autem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalariis, biblicis et magistris studencium provideat, prout honestati et honori ordinis sibi visum fuerit expedire.

Committimus insuper eidem magistro ordinis reverendo, quatenus provinciis Terre sancte et Grecie, quocienscumque et quocumque casu ipsas vel aliquam ipsarum contigerit suo provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale dictis provinciis et earum cuilibet de provinciali providere valeat, prout sibi videbitur expedire.

(1) Legendum esse arbitror: In conventu Erfordensi provincie Saxonie.

(2) De fr. Petro de Guillis cf. MOPH. VII, pag. 61.

(3) De fr. Petro Albi cf. ibid. pag. 57.

(4) De fr. Romeo Rosselli cf. ibid. ad a. 1407.

(5) Sic legendum esse puto « Mageningesi » codicis quam plurimum corrupti.

(6) Forsan « Thuringia ».

(7) De fr. Nicolao de Troia cf. supra pag. 435 l. 15.

(8) Videtur esse idem, de quo SSOP. I, 752.

(9) De quo cf. SSOP. I, 704.